

eorumque crassis erroribus aliis satis constat, hac vero ex parte nihil admiserunt, car vituperentur, nisi quod forte indignius haberi putaverint imagines, quod nolumus approbatum. Idem valet de VIGILANTIO, qui ubi Martyrum reliquiis & sepulchris nullum honorem exhibendum esse statuit, nihil commisit, quod esset vituperandum, nisi quod Hieronymum videamus satis acriter, & quidem ex merito, eum perstringere, quod plane ad contemptum Sanctorum ejus opinio processerit, quam sane nemo etiam nostratum approbaverit. Perinde se res habet cum errore CLAUDII TAURINENSIS, Seculi IX. scriptoris, qui superstitiones sui temporis dum taxabat, ad alterum extremum nonnunquam delabi visus est, interea inter Confessores veritatis recensendus venit, ita ut JONAS AURELIANENSIS Episcopus eum refutando ex argumentis Pontificiis parum potuerit proficere, ut potius BELLARMINUS hunc ipsum erroribus scatere fateatur. De Scriptor. Ecclesiasticis p. 188. Nihil itaque proficiunt adversus nos Adversarii, Conf. ex nostratis BALDUINI lib. de imaginibus DEI & Sanctorum; ex Reformatis DEKHERI de Staurolatria Romana p. 56. seqq. ex Pontificiis Capitulare Caroli M. de imaginibus non adorandis, cum Notis JOHANNIS TILII p. 74. ubi obiter notamus, & hunc, & FLACIUM confundere hunc CLAUDIUM cum CLAUDIO ANTISIODORENSE, qui familiaris fuit Carolo M. quod de isto non constat: Cadit etiam simul PETROBRUSIANORUM & WIKLEFISTARUM nomen, nam si quae bona illi in Papalibus tenebris confessi sunt, ad testimonium serviant ecclesiae, tunc etiam conservatae, nec talium nos pudere debet, ut de illis Lutherus aliquoties mentem suam aperuit, & nos cum ipso. Desinimus vero, & DEUM immortalem precamur, ut & ecclesiam nostram tueatur, & adversariis nostris det

MELIOREM MENTEM!

CON-